

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Resurrectio n cum fonte primo

Non casu factum est ut  
discipulis Dominum uidentibus  
post resurrectionem ←  
electus ille discipulus tunc deesset, post  
autem ueniens audiret, audiens dubitaret,  
dubitans palparet, palpans crederet.  
Non casu

gestum est,

sed uidendo et  
palpando factus est  
testis uere resurrectionis.

Gregorius in omelia tractans illud  
Iohannis XX.: Quia uidisti me Thoma.

Numquid casu gestum creditis, ut

electus ille discipulus tunc deesset, post  
autem ueniens audiret, audiens dubitaret,  
dubitans palparet, palpans crederet?

Non hoc casu,  
sed diuina dispensatione  
gestum est.

Egit namque miro modo superna  
clementia ut discipulus dubitans, dum in  
magistro suo uulnera palparet carnis, in  
nobis uulnera sanaret infidelitatis. Plus  
enim nobis Thomae infidelitas ad fidem  
quam fides credentium discipulorum  
profuit, quia dum ille ad fidem palpando  
reducitur, nostra mens omni dubitatione  
postposita in fide solidatur. Sic quippe  
discipulum post resurrectionem →  
suam dubitare permisit, nec tamen in  
dubitatione deseruit, sicut ante  
natiuitatem suam habere Mariam  
sponsam uoluit, qui tamen ad eius  
nuptias non peruenit. Nam ita  
factus est discipulus dubitans et palpans  
testis uerae resurrectionis,  
sicut sponsus matris fuerat custos  
integerrimae uirginitatis.

Gregorius Magnus, *Homiliae in  
euangelia*, 2, 26, 7 (CCSL 141, R. Étaix  
ed., p.224, ll.161-175).